

1669.

1. Fugmann, Joh. Christophor: De juribus lega-
torum.
2. Kirchmaier, Georg Korpus: De auguribus Romano-
rum.
3. Kirchmaier, Theodor: De amentatione cada-
verum, fallaci illo praesentis homicidae
indicio. Von d. Bluts eines gewaltsem erschlethen
Körpers . . .
4. Kirchmaier, Theodor: De civitatibus Haemeticis.
5. Lederer, Michael Fridr: De tutelis.
6. Lederer, Michael Fridr: De contractibus
innominatis
7. Lederer, Michael Fridr: De interesse,
ut l. un. C. de sent., quas pro eo quod inter-
est ita ita.
8. Lederer, Michael Fridricus: Fudorum proe-
lu dia prout ab antiquis vocantur.

9. Lederer, Michael Fridericus: De jure cur-
sum publicorum.

10^a Leiser, Wilhelm: Positionum ad jus feudale
dodecas IV.

10^b Leiser, Wilhelm: Positionum ad jus feudale
dodecas V.

11. Martini, Werner Theodor: De libera imperii
nobilitate Franconiae, Sueriae, et penet
tractum Rheni, an status imperii dicenda
sit?

12^a Martini, Werner Theodor: De jure venandi

12^b Nergens, Joachimus: De majestatis originine,
ejusque jure

13. Ritter, Christophor: De dominis heredi-
bili.

14. Roprenseen, Christianus: Jus armorum.

15. Straussius, Godofredus: De servitute,
ne lumbitus afficiatur.

16. Thilo, Georg Melchior: De jure erani.

12^c Nergens, Joachimus: De majestatis originine
ejusque jure.

17618^a Ziegler, Kaspar: De procuratoribus.

2^o Exempt -
486 Finck, Johannes Jacobus: De interpretatione legum.
1690. Pa Adlung, Johann Christophorus: De usu et occasu
siderum poetico
1. 11. 1. Lyser, Wilhelm: De concursu et graduatone.

creditorum in foro electorali Saxonico concurren-

tiis 2^o Exempt

2. Lyser, Wilhelm: De immutabilitate et mutabili-
tate juris.

3. Lyser, Wilhelm: Prolegomena positionum ad
jus feudale.

4. Martini, Werner Theodor: De ortu et processu juris
Justinianei

5. Martini, Werner Theodor: De transmissione actionum

6. Martini, Werner Theodor: De sequestro.

7. Rother, Christophorus: Decanum facultatis juris-
ticae civitas academicae. (ad audiendum thema:
De iudice legati delinquentis competente.)

1670.

8. Ritter, Christophorus: De rege Romanorum.
9. Rotemeeen, Christian: De jure municipii.
10. Rotke, Ehrenfried: Insuperpositum ac naturale.
11. Scharfius, Dr. Fredericus: De foederibus.
12. Schwytzfleisch, Herr. Samuel: Lineamenta Sar-
matiae.
13. Schwytzfleisch, Herr. Samuel: In historia civili
Venetum regimen adumbravit.
14. Straucius, Godofredus: Utrum quis ullo jure et
ullo in carnem sibi ipsi violentas manus inferre
possit?
15. Wildvogel, Godofredus: De distributione justitiae.
16. Ziegler, Kaspar: De ratihabitione ejusque
effectu juris.

~~16. Ritter, Christophorus: De jure Dei decem: Per-~~

16. Ritter, Christophorus: De jure Dei decem: Per-
gram, quo ad ordinem in ungarorum Augusti Beckeri
instit. cf. No 7. 1670: Vitenburgae.

9790

No: 853.

1669

21

L. C. F.
DISSERTATIO JURIDICA
DE

PROCURATORIBUS,

Quam
Consensu Magnif. ac Nobiliss. Jctorum Ordinis
PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQUE EXCELLENTISSIMO

DN. CASPARO ZIEGLERO,

Jcto & Antecessore in hâc Academiâ longè celeberrimo, SERENISS, ELECT. SAXON, Consiliario, Facult. Jurid. Ordinatio & Seniore, Curia Electoralis, Consistorii Ecclesiastici & Scabinatus
Assessore gravissimo

DN. PATRONO, PROMOTORE AC HOSPITE SUO
ÆTATEM DEVENERANDO

publice defendet

AUTOR

GOTTLOB GRÆBE/

Dresd.

In Auditoriô Jctorum d. Novemb.

Horis consuetis.

WITTEBERGÆ,

Literis MICHAELIS MEYERI, Anno M DC LXIX.

NOTA



V I R O

Nobilissimo, Excellentissimo Consultissimoq;

DN. CHRISTIANO à KLENGEL,

JCto summo & incluto, Serenissimor. Princip. Anhaltin.

&c. &c. &c. Consiliario Sanctiori atq; intimo, nec non Ecclesiastici
Consistorii, quod Servestæ est, Præsidi eminenti &c,

Mœcenati meo submissò animi cultu ætatem devenerando.

ut &

V I R I S

*Nobilissimis, Excellentissimo, perquàm Strenuis, &
rerum Civilium juxta ac militarium experientiâ celeberrimis,*

DN. MELCHIORI à SCHLO-

MACH in Melß- & Gebersdorff/ Sereniss. ac Re-
verendis, Principis ac DOMINI DN. AUGUSTI, Ducis Saxon.

&c. &c. &c. & Postulari Administratoris Primatus ac Archiepiscopatus
Magdeburgensis &c. Consiliario Camera
intimiori &c.

DN. GEORGIO Götzen

in Kleinopitz/ Sereniss. ac Potentiss. Elector. Sax. &c. &c. &c.

Præfecto excubiarum supremo, & præsidii Castrensis Dresdæ
Capitaneo maximè strenuo, &c.

Dominis Patronis, Patrinis ac Susceptoribus meis eter-
nâ reverentiâ honorandis

Hoc quale quale Studiorum Civilium argumentum eâ, quâ decet
pietate, consecratum cupio

AUTOR.



IN NOMINE DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI.

IX cujus invocatione bonum
sequitur initium, melius medium &
optimus finis *Gloss. in Rubr. Proœm. Inst.*
verbo Jesu. Nam difficile, veriùs dixe-
rim, impossibile est, ut bono peragan-
tur exitu, quæ malo sunt inchoata principiò *Can, Prin-*
cipatus 25. caus. 1. quæst. 1. Undè & *Sacratiss. Imper. Ju-*
stinianus quæcunqve bona peregerit & perfecit even-
tu & exitu, DEO T. O. M. unicè adscribit; *Conf. Proœm.*
Inst. §. 1. ibi aduente DEO, §. 3. eod. verbo: DEO propitiò, l. 1.
pr. C. de Vet. jur. enuel. Et ut mentis devotionem etiam
figno aliquò testaretur, quandoqve ipsamet nostra ini-
tialia verba suis præfixit Constitutionibus, *l. 1. C. de offic.*
Præfct. Prætor. l. 2. pr. eod. & passim, sanctè persuasus,
bene universa geri & competenter, si rei principium,
fiat decens & amabile DEO, *uti ipse loqui amat in Novell.*
6. in fin. præfat. Nullum autem potest fieri decentius
& amabilius DEO principium, quàm si precibus piis
opera nostra & instituta inaugurentur, Deoque offe-
rantur. Tu itaqve ò JESU & meis adspira cœptis ac an-
nue votis. Dum verò exercitiij gratia de aliquo the-
mate examen instituere in animum induxi, multum
mihi diuqve cogitanti, quæ ex tanta elegantissimarnm
pari-

pariter ac utilissimarum materiarum copiâ sit eligenda, præ cæteris sese offert illa, quæ de PROCURATORIBUS est. Cujus si prolixam præmittere conarer commendationem, operam certè perderem, lateremque lavarem, cum quanta istius sit utilitas & in foro non minùs quàm in Schola frequentissimus usus, vel me tacente, res ipsa loquatur, & experientia rerum magistra satis satisque demonstret. Hoc itaque Thema ut valdè necessarium & quotidianum plenius quidem eslet pertractandum ac discutiendum, prout monet Jctus in l. 25. ff. de liberat. leg. verùm cum innumerabiles ferè Dd. ac interpp. quorum extant Commentarii, in explicando illo ac elaborando desudarint, saltem Theses quasdam impræsentiarum conscribere, publicæque ventilationi subicere animus est. Præcisa itaque omni verborum luxuriâ, auxilioque æternò denuo invocato non meo fretus ingenio & viribus, sed DEO, qui res etiam penitùs desperatas donare & conummare suæ virtutis magnitudine potest l. 1. §. 2. C. de vel. jur. enucl. rem ipsam aggredior. Sit igitur

Thes. I.

Disputationem semper à definitione inchoari debere, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur, *Tullius in lib. 1. offic. testis est.* Cujusque enim rei potissima pars est definitio, *arg. l. 1. ff. de O. J. & rei propositæ finis secund. Podin. lib. 1. de Republ. cap. 1.* Ab hac itaque & nobis initium facere lubet.

I I.

Est verò alià rei, alia nominis: De hac, cum nominis consideratio sæpe in disferendo maximas habeat commoditates, & solemne etiam ac familiare sit Jctis, (quorum actio nostra debet esse institutio,) notitiæ rei
præ-

præmittere ptincipia nominis , prius esset agendum :
Quoniam autem hoc loco ea ipsa neminem latere pot-
est, plura de eâdem verba facere operæ pretium haud
erit. Quilibet enim, nec me monente, videt, descen-
dere Procuratoris vocabulum à verbo Procuro, idq;
compositum esse ex præpositione separabili pro & ver-
bo curo, ut procurare nihil aliud sit, quàm pro aliò ali-
quid curare, aut alienò nomine aliquid administrare,
uti ipse etiam explicat *Wesemb. in Comm. ab ff. de procur.*
n. 2. De reali definitione in *Thef. seq.* videbimus.

III.

Procurator est (authore Ulp. in *l. 1. ff. de procur.*)
qui aliena negotia mandatu domini administrat. Ge-
neris loco, *rectè monente Wesemb. d. loc. n. 3.* subintel-
ligendus est Administrator, Curator &c. Omisit
namq; istud Ulp. in definitione, quod JCtis est
usitatisimum: Hi ipsi enim non simulatam sed ve-
ram affectantes Philosophiam *l. 1. §. 1. ff. de J. & J.*
l. 1. §. 5. ff. de var. & extraord. cognit. & non verbis aut
argutiis, sed opere ipso philosophari studentes, defini-
tiones suas non ex Dialecticorum formis, anxioq; con-
cipiendi modò, qui in scholarum obtinet umbris, sed ex
Philologia principiis ac fine, quæ vitæ simul & doctrina-
rum elegantiam commendat, rei scil. vim ac pondera
appendendo, non numerandò voces, aut insistendo
formulæ Dialecticorum, proponunt, uti satis eleganter
hâc de re disserit Pomeresch. in *Not. ad Inst. tit. de J. &*
J. in explic. de fin. Justitia. verb. Est. Differentiam spe-
cificam verba *mandatu Domini* perspicuè declarant.
Differt eum hoc ipsò Procurator à Defensore, in specie
sic dictò (prout accipitur in *l. 9. §. 6. & l. 34. §. 3. ff. de jure-*
jur. ac passim, & qui ut talis Procuratori opponitur) ac

negotiorum gestore, qui sine mandato agunt, & negotiantur. Differt hæc ratione etiam Procurator à Tutore, Curatore, Administratore Civitatis &c. qui res minorum aut aliorum, non ipsorum mandato, sed vel publicâ authoritate, vel testatoris, vel legis vel magistratus, administrant. *Vid. Dn. Franzk. fusiùs hanc ipsam definitionem explicantem in Comm. ad tit. ff. de Procurator. & defensor. à num. 12. usq; ad 39. Wesemb. dict. loc. & alios.* Ubi notandum adhuc venit, vocem administrare h. loc. prædicari de procuratore dupliciter: *Latè* scilicet, quò sensu significat officium Procuratoris sive bonorum, sive litis, *l. 1. l. 33. §. 1. ff. b. t. & strictè*, ubi negotia tantum extrajudicialiter gerere dicitur Procurator, eiq; agere opponitur, quod de judicialibus prædicatur, *l. 30. pr. de Procurator. Dn. Hahn. in Not. ad Wesemb. bic.*

IV.

Nunc ad divisiones progrediendum erit: Procurator enim 1.) ratione objecti alius est generalis, alius Specialis. Hic est qui mandatū speciale habet & cui una res aut unus aliquis actus specialiter cõmissus est *l. 16. C. b. t. l. 1. §. 1. l. 39. §. ult. ff. eod. l. 25. §. 1. ff. de minorib.* Subdividitur hic rursus, quod alius sit qui ad iudicium, alius qui ad negotia extrajudicialia datur, *l. 1. §. 1. ff. b. t. l. 33. pr. eod. l. 3. §. 2 ff. jud. solv. l. 10. C. de procur.* Ille seu generalis est, qui generale habet mandatū de universis negotiis gerendis, *l. 60. ff. b. tit. l. 25. §. 3. de adilit. edict. l. 25. §. 1. ff. de minorib.*

V.

Num verò distinctio illa Procuratoris, quod alius sit simpliciter totorum bonorum vel negotiorum, alius omnium rerum cum liberâ, Juri Civili (Jure Can. enim eam esse receptam patet ex c. 4. de procurator. in 6.) fit

fit cognita, valdè inter Dd. disceptatur. Affirmantes adducunt *l. 58. ff. de procur. l. 9. §. 4. ff. de A. R. D. §. 43 J. de R. D.* ubi expressè Procuratoris, cui libera concessa est administratio, mentio fit. Nos negantium subscribimus sententiæ; cùm hujus distinctionis nullum in Jure Civili sit fundamentum, nulla utilitas; nam qui (uti præclarè sentit *Dn. Habn. in Not. ad Wesemb. n. 3.*) in *allegat. l. 58. b. t. §. 1. 9. §. 4. ff. de A. R. D.* dicitur Procurator cui libera concessa est administratio, is Synonymicè & explicationis ergò dicitur procurator omnium rerum, in *l. 87. ff. de solut. l. 1. §. 1. ff. b. t. universorum bonorum, in l. 17. §. fin. ff. de jurejur. omnium negotiorum, totorum bonorum, plenum mandatum habens, & cui generaliter rerum sive bonorum administratio commissa est, l. 6. §. 6. ff. mandat. l. 169. §. 4. eod. l. 60. l. 63. ff. b. tit. l. 12. pr. ff. de solut. &c.* Qvò etiam facit *l. 60. §. 4. ff. mandat.* ubi Lucius Titius Sejo, fratris sui filio, solennibus quibusdam verbis liberam concedit potestatem, agendi, ut ipsi liceat vel vendere vel pacisci, vel emere, sive quodcunque operari, ut domino omnium suorum, ipsius scilicet Titii, bonorum, & tamen hæc ipsa libera Sejo concessa potestas in eodem textu plenum mandatum vocatur, verb. *plene mandavit*; ut ita satis manifestum sit, plenum mandatum à mandatò cum liberà nihil differre. Quid autem de distinctionis hujus utilitate dicam? cùm ne quidem intelligi possit, quomodo administratio omnium negotiorum vel bonorum sine libertate administrationis consistere possit.

VI.

Ratione finis Procurator alius est in rem alienam, alius in rem suam. Procurator in rem suam est, qui alienum quidem negotium, at in commodum proprium

prium, domini mandato gerit, l. 33. §. fin. l. 34. l. 42. §. 2.
ff. de procur. Id quod secundum Dd. duobus fit modis :
1.) cum debitor creditorem, ut id quod exigitur, cedat
in commodum Procuratoris proprium l. 4. C. b. t. l. 1. §.
12. ff. quand. appelland. V. g. cui nomen insolutum da-
tum est, dicitur procurator in rem suam, cum debitor
actionem, quam habet in debitorem suam, mandat
creditori suo, l. 1. C. de obligat. & act. Sic qui nomen
emit, Procurator fit in rem suam, quam emit, l. 1.
C. de contrar. jud. tut. l. 8. C. de hered. vel act. vend. l.
67. §. 2. ff. de condict. indeb. It. emptor hereditatis, l. 34.
l. 42. §. 2. ff. de procur. Quod idem obtinet in legatario,
cui nomen aliquod legatum aut per fideicommissum
datum est, cum scil. heres ei mandat actionem heredi-
tariam, l. 70. ff. de procur. l. 18. C. de legat. §. 21. J. eod. Quas
actiones, cum osibus cedentibus inhareant, procura-
tor ex persona cedentis instituere debet, unde etiam
procurator dicitur, licet in proprium commodum agat,
l. 9. C. de procur. Sunt tamen aliae quoque ipsi concessae
utiles actiones, quas proprio nomine instituere potest.
Vid. Dn. Struc. in Syntagm. Jur. civil. tit. de procur. Thes.
26. 2.) Cum quis eum, à quo causam habet, constituit
procuratorem in rem suam, ut is ipse periculo suo ex-
periatur, V. g. cum fidejussor reum habet procurato-
rem, d. l. 42. §. 2. de procur. It. cum venditor ab empto-
re in lite proprietatis aut evictionis datur procurator in
rem suam, l. 66. §. 2. ff. de evict. Alia exempla vid. in l. 63. ff.
de re judicat. & l. 4. §. 3. & 4. ff. de appell. Subdividitur
Procurator in rem suam aliàs etiam in voluntarium &
necessarium. Voluntarius est, qui spontaneâ volunta-
te: Necessarius, qui non nisi cogente, necessitate in
rem suam constituitur. Quam necessitatem optimè ex-
muniq
plicat

plicat Donell. *Comment. lib. 18. cap. 13.* ubi in rem suam ex necessitate procuratorem factum videri, dicit, qui necessitate rei familiaris cogente, actiones sibi mandatas accipit, sine quibus acceptis aliàs de suo quid amitteret, aut in periculum rei amittendæ caderet. Qualis est qui actionem cessam habet contra tutores, *l. 2. C. de divid. tut.* aut contra fidejussores, *l. 1. C. de fidejussor.* aut hereditariam actionem contra creditores hereditarios, *l. 34. ff. de procur.*

VII.

Jam ordinis ratio postulat ut de personis, quæ procuratores dare & constituere possint, agamus. Fundamenti autem loco hîc ponenda est regula: Omnes posse, nisi qui prohibentur, *l. 43. §. 1. ff. de procur.* Prohibentur verò procuratorem constituere: *Infans, §. ult. J. de curator.* furiosus & mente captus, cum nulla istis sit voluntas, nec quid agatur, intelligant, *l. 5. §. 40. ff. de R. J. §. 8. J. de inutil. stipul.* pupillus sine tutoris auctoritate, *l. 11. C. de procur.* naturâ mutus & surdus, cum animi sui sensa nullo modò, vel voce vel scripturâ exprimere possint; aliàs, si casu quis fortuitò mutus aut surdus foret, & literas calleat, minimè prohibetur, *l. 43. pr. ff. de procur.* Servus etiam procuratorem ad litem de Jure Civ. constituere prohibetur, *l. 33. ff. b. s.* licet enim negotia peculiaria per alium gerere, & hoc casu procuratorem habere possit, agere tamen per eundem nequit *d. l. 33. §. 1. 15. pr. ff. ex quib. caus. major.* nisi fortè de statu suo litiget, cum hoc casu nondum pro servo habeatur *d. l. 33. l. 1. pr. C. de asfert. tollend.* Jure Pontificio etiam excommunicatus vel per se vel per procuratorem agere prohibetur *cap. fin. x. de procur. cap. 12. x. de except. cap. 1. eod. in 6to. cap. 8. de sentent. excommunicat.*

B

Verùm

Verum non immeritò invehitur in Papam Mæstert. *de just. Rom. Leg. lib. 2 c. 18. num. 7.* quem citat Magnif. Dn. Præses, Patronus, Præceptor ac Hospes meus æviter-
nùm devenerandus in *Comment. ad Instit. Lancell. tit. de procurat. §. 13.* quod Pontifex hâc ratione falcem in mes-
sem alienam miserit, cum excommunicatio sit exclusio
à communione spirituali, adeoque malè ejus effectus
ad judicia extendatur, cum in judiciis etiam illi audiri
debeant, qui planè sunt extra Ecclesiam nati & educati.
Nec enim excommunicatio quæquam privat dominio
aut Jure naturali Gentium aut Civili, sed facit tantùm
excommunicatum à beneficiis Ecclesiæ propriis. *Vid.*
Magnif. Dn. Præses d. loc. Filiusfam. quoque procurato-
rem constituere nequit, nisi ejusmodi sit actio quæ ipse
experiri poterit, si sc. peculium castrense (in quo pro pa-
tref. habetur *l. 2. ff. ad Sct. Maced.*) habeat aut injuriam
passus fuerit; tùm enim & ad agendum & defenden-
dum ipsi procuratorem dare licet, *l. 8. ff. de procur.* Et
si qui sint alij, de quibus Dd. passim, quas omnes hic re-
censere, cùm instituti nostri ratio brevitate exigat,
operæ pretium non erit. Num autem substitutus alium
substituere possit procuratorem nondum satis inter Dd.
convenit; quidam enim distinguunt, an litem hic con-
testatus fuerit, nec ne; si non, nec substituere illum
posse autumant, quoniam lite non contestatâ litis et-
iam dominus factus non sit. Ego autem posse illum sub-
stituere nullus dubito, non obstantibus dissentientium
rationibus: quod scilicet litis dominus factus non sit; de-
indè, quod si huic iterum alium substituere liceret, pro-
gressus fieret in infinitum, & inde facilè protraherentur
lites. Ad primam enim respondeo objectionem:

Quam-

Quamvis litis contestatione litis dominus factus non sit, per constitutionem tamen procuratoris in substitutum dominium illud transit, quod procurator litis contestatione acquisierat; unde etiam in eum fertur sententia: quod fieri non posset nisi esset dominus litis. *Vid. Mynsing. cent. 1. Obs. 43.* ubi in causa quâdam ita decisum fuisse dicit *ob l. 1. c. de sentent. & interlocut. Confer. Gothofred. ad d. l. lit. R. & C.* Alteram quod attinet rationem nobis oppositam, nec illa magni ponderis est, cum scilicet substitutio & Procuratoris mutatio non nisi iustâ ex causâ admittatur, ideò nec processus iste in infinitum facile metuendus erit.

VIII.

Cognitis nunc personis quæ procuratores constituere possunt, etiam de iis quæ dari queant dispiendum erit: Quod ex eadem, cujus supra mentionem fecimus, regula, omnes scilicet posse, nisi quæ prohibeantur, dijudicatur. Prohibentur itaque omnes illi qui legitimam standi in iudicio personam non habent, ut *Servus l. 33. ff. de procur. l. 13. ff. si quis caut. in jud. sistend. fact. l. 3. ff. ne quis eum, qui in jus vocat. l. 6. c. de jud.* quoniam procuratorem esse civile officium habetur *l. 2. ff. de R. J.* Serviautem Juris Civ. communionem non habent, *l. 20. §. 7. ff. qui testam. fac. non poss.* Fœmina *l. 54. ff. de procur. l. 18. c. eod. d. l. 2. ff. de R. J.* de quâ elegantem videas rationem *in l. 21. c. de procur.* Exceptio tamen est *in l. 41. ff. eod.* ubi fœminis causâ cognitâ interdum pro parentibus agere permittitur. Num autem ad liberos sit extendenda lex alleg. valdè dubitatur *ob l. 18. c. eod.* Sed ita puto cum *Anton. Fabr. ad d. l. 41. si videlicet ea concurrant, quæ in l. ead. in procuratione*

pro

pro parentibus, præfertim cum non nunquam ejusmodi casus suboriri possint, qui subitam expeditionem requirant, ita ut tutoris constitutio expectari nequeat. Hæc licet Jure Civili ita sese habeant, aliter tamen in Jure Saxon. est constitutum, ubi mulier neque pro se neque pro aliis in judicio comparere potest aut agere, sed solet ei ad exemplum pupilli tutor seu Curator in litem, Ein Kriegischer Vormund à judice causæ seu litem, coram quo lis vertitur, dari & constitui, Landrecht lib. 1. tit. 44. § 46. Quam sententiam postmodum etiam confirmavit Illustriss. Elector Augustus glorios. mem. in Novell. suis p. 2. C. 15. ubi verba: Daß die Gerichtshalter eines jeden Orts / ungeachtet / ob solches gleich von keiner Part gesucht würde einer jeden unbevormündeten Weibespersion zu ihrer Klage und Antwort Ambsshalben einen Kriegischen Vormunden geben und zu ordnen sollen. Add. Nov. Ord. Proceß. Illustriss. Elector. Joh. Georg. 1. beatiss. mem. tit. 8 wie die Weibespersionen vor Gericht handeln sollen / verbis: Witben und Jung rauen sollen ohne Unterscheid des Alters / sie halten gleich Klägerin oder Beflagten stat / nichts für ihre Person / sondern alles durch ihre Vormunden handeln / da sie aber mit Vormunden nicht versehen /c. Quod tamen cessat in causa criminali, tunc enim ipsa met comparere tenetur, nec Curator ejus admittitur, Carpz. Jurispr. Forens. p. 1. C. 1. def. 33. § Prax. crim. p. 3. quest. 105. n. 61. Prohibetur etiam Procurator esse Miles, l. 8. §. 2. l. 54. ff. de procur. l. 5. C. de condict. ob caus. dat. ne si alieno nomine judicia tractare, & eâ curâ occupari liceret, armorum curam ommitteret, & à signis suis ac munere discederet Donell. lib. 18. Comment. cap. 11. Unde etiam
omnis



omnis procuratio in milite putatur esse contra utilitatem publicam & disciplinam militarem, l. 7. C. de procur. l. 31. C. de locat. & conduct. & c. Excepto tamen eò, qui in rem suam procurator datus est, vel qui communem causam sui numeri persequitur, aut suscipit, l. 8. §. milites. ff. de procur. l. 9. C. eod. *Queritur autem hic, an etiam miles pariter ac mulier de Jure Civili in causa parentum & liberorum admitti possit?* Affirmant id Donell. loc. alleg. & Umm. in Process. Disp. 3. th. 4. n. 20. quia eadem in milite sit necessitas & pietas quæ in muliere arg. l. 41 ff. de procur. Sed contraria verior mihi videtur ob l. 7. C. eod. & §. fin. J. de except. & quia disciplina castrorum charitate parentum Romanis fuit antiquior, l. 19. §. 7. ff. de capt. & postlim. revers. d. l. 7. C. de procur. milesque patriæ magis quam parentibus sit obstrictus. De minore 25. annis, num is procurator esse possit minimè inter Dd. convenit; & quamvis Negativa expresse probetur tx. Juris Canon. in cap. qui generaliter §. ult. de procur. in 6. & defendant eam Zanger. de except. p. 2. c. 8. Anton. Faber. in jur. papal. tit. 6. princ. 7. illat. 14. Philipp. Matthæi. ad l. 2. §. 1. ff. de R. J. Carpz. in process. tit. 5. art. 1. n. 31. & seqq. ac alii. Mihi tamen affirmativa magis arridet cum Donell. d. loc. Trentl. vol. 1. Disp. 9. d. 5. Perez. Cod. de procur. n. 9. Franzk. exerc. 2. modò ipse sit major 17. annis, §. 5. J. cui & quib. ex caus. manumitt. nō lic. l. 13 ff. de manumiss. vind. l. 1. §. 3. ff. de postul. §. ult. J. d. t. cui & quib. ex caus. ubi hæc ætas 17. annorum moderata visa est ad procedendum in publicum, & licet hi txx. de advocato loquantur, non incongruè tamen ad procuratorem extendi & accommodari possunt, cum hoc casu nulla commoda differentiarum ratio inter hos reddi

queat. Facit quod in *l. 23 ff. de minor.* minorem alienæ
litis procuratorem esse, diserte dicatur, *Vid. Magnif.*
Dn. Præses loco alleg. ad §. 2. ubi hanc sententiam suam
quoque facit. Procuratoris verò vices sustinere iterum
prohibetur mutus & surdus *l. 43 ff. de procur.* Item cri-
minis alicujus reus *l. 6. C. eod.* cum ipse innocentiam
suam prius purgare necesse habeat. Quod tamen de
crimine capitali intelligendum erit, *l. 1. §. 6. ff. de postul.*
Nec non furiosus *l. 2. §. 1. ff. bic.* Is qui perpetuò laborat
morbò *l. 54. pr. eod. l. 9. ff. de postul.* Quod per bonam
consequentiam etiam obtinet in senibus decrepitis &
ætate confectis. *Vid. Harprecht. in Comm. ad Instit. tit.*
de his per quos ager. poss. §. 1. n. 171. De infami an is ad-
mittatur hoc loco etiam quæritur? Et communis Dd.
opinio est, de Jure Civil. repelli eum non posse, ob *ix.*
in §. ult. J. de except. Verum distinguendum videtur
inter notorie infamem & eum, de cujus infamiâ adhuc
dubitatur: Hunc ab officio procuratoris minimè ar-
cendum esse manifestum est *ex d. §. ult. ne scil.,* dum de
hoc altercatur, ipsius negotii disceptatio proteletur;
Penitiùs itaque inspecto alleg. textu notoriè infamem
non admitti facilè patet. Cum quò bene etiam con-
venit Jus Pontific. omnes indistinctè infames repellens
in Can. 1. & 2. caus. 3. q. 7. can. 3. caus. 5. q. 3. Idem quoque
moribus nostris in judiciis bene constitutis, veluti in
Consistorio Principis & supremo Camerae Imperialis
judiciò, observari testantur *Petr. Heig. ad d. §. ult. J. de*
except. & Gail. 1. obs. 43. num. 7. & 8. De quo textus est
in Ordinât. Camer. p. 1. tit. 18. Daß die Advocaten und
Procuratores / ehe und bevor sie zugelassen oder ange-
nommen / durch Cammer-Richter und Assesoren
ihrer

ihrer Lehre/Geschicklichkeit/ Redligkeit/ rechter na-
türlicher ehrlicher Gebuhr / Wesens und Haltens
halben/2c. wohl examiniret werden sollen. Nec re-
cedit ab hoc Jus nostrum Saxon. ubi infamis in nullis
penitus causis procuratoriò officio fungi potest per
text. & Gloss. ordin. in Landrecht lib. 3 art. 16 circa fin. ibi:
Wer aber beklaget wird / mag seinen Kläger wohl
abweisen / als ob ein rechtloser geächteter Mann ei-
nen beklagte / dem darffer nicht antworten. Et dein-
de, vers. denn das Recht. ubi hæc : daß die Rechtlo-
sen weder in peinlichen noch in bürgerlichen Sachen
vorsprechen sollen / darumb / daß sie mit Ehren vor
Bericht nicht stehen können. *Schulz. in Synops. Inst. Im-*
per. tit. de except. lit. C. Cæterum à procuratoris offi-
cio repelluntur Potentiores, *tot. tit. C. ne lic. potent. pa-*
trocin. litig. prest. cum importunis ipsorum interces-
sionibus seu patrociniis sæpè adversarius tenuior vel
opprimatur, vel saltem metus & terror ei injiciatur,
quò minùs causam suam liberè agere & persequi possit.
Hinc Claudius Imperator constituit, ut qui sibi poten-
tiorum patrocinium advocassent jacturâ causæ aut de-
biti afficerentur, *juxt. l. 1. d. t. quod etiam Impp. Arca-*
dus, Honorius & Theodosius in l. 2. eod. postea confir-
marunt. Sed & ipse potens in patrocinium litis cau-
sa alium suscipiens arbitrariè punitur, *d. l. 1. C. ne lic. po-*
tent. ibiq. Dd. Potentiores autem h. loc. vocantur, non
solùm qui publico officio, quo metum atqve terrorem
alicui incutere possunt, funguntur; verùm etiam qui
opibus & divitiis, vel deniqve quâvis excellentiâ va-
lent, quâ pars adversa prægravari potest. *Wesemb. ad d.*
tit. C. ne lic. potent. Hisce potentioribus non immeri-
tò an-

tò ancumerantur Respubl. & Fiscus, undè etiam nullo privato contra privatum procurationem præstare queunt, *Rubr. ne fisc. vel Respubl. procurat. & c.* imò nec sub prætextu debiti, *l. 1. & 3. eod. Donell. lib. 18. cap. 11.* Tandem procuratores esse prohibentur redemptores alienarum litium, seu qui procurationem causæ eâ suscipiunt conditione, ut sibi ex litis eventu vel victoria certa pars præstetur. Cùm hoc pactum, (quod vulgò pactum de quotâ litis vocatur) sit contra bonos mores, *l. 7. ff. mandat. l. 15. C. de procur. l. 53. ff. de pact. l. 5. C. de postul. & c.* quod à jure semper improbatur, *l. 27. §. 4. ff. de pact. l. 6. C. eod.* Undè etiam ejusmodi procurator aut advocatus, qui de quotâ litis cum cliente suo pactus est non tantùm sumptus aut expensas litis nullâ unquam actione repetere potest, *d. l. 6. §. ult. ff. mandat. & l. 20. C. eod.* sed & ipse ab hac professione suâ penitus arceatur, ex *Constit. Constantini Imper. in d. l. 5. C. de postul. & Can. 2. caus. 3. q. 7.*

IX.

Hodiè in Judiciis nostris non omnes indistinctè, qui procurare cupiunt, aut jure non prohibentur, admittuntur, sed qui publicum testimonium eruditionis suæ & profectus in studio juris exhibuerint, vel aliter de eò fidem fecerint, *Ordin. Torgens. de Anno 1583. tit. von Advocaten und Procuratoren. Nov. Ord. Process. tit. eod. §. besonders aber. ubi habetur: Wir wollen Krafft dieses begehret haben/ daß unsere Beampte und andere Gerichts Herren solche unqualificirte Personen und die ihrer Erudition und Geschickligkeit haben kein Zengnuß vorzulegen/ zu Advocaturen und Procuraturen in ihren anbefohlenen und verliehenen Gerich-*

Berichten nicht admitiren und zulassen sollen. Ad-
de Erled. der Landes-Gravam. de anno 1661. tit. von
Justitien. S. Rubr. von Advocaten und Procuratoren
In Camera quoque Imper. nemo in numerum Procu-
ratorum recipitur nisi Doctor vel Licentiatas, *Gail. 1.
obs. 43. num. 7.* Sed & in Curiis nostris provincialibus
æqve ac in Camera certus est constitutus Procuratorum
numerus, quibus negotia in iudicio tractanda à litigan-
bus demandari debent, nec admittuntur alii extranei,
qui à Protonotario, cui hoc incumbit, in numerum
mandatariorum recepti haud sunt, id quod observan-
tiam comprobasse testatur *Carpz. in Process. tit. 5. art. 1.
num. 37.* Quamquam in supremo Appellationum iudi-
cio, aliisque etiamnum, quicumque procurare volunt,
modò sint idonei, admittantur, *Carpz. d. loc.*

X.

Explicanda nunc venit materia, seu ad quas res go-
rendas procuratores constitui possint vel non. Con-
stitui autem in iudicio potest procurator vel ad omnes
causas, vel ad unicam tantum, totam tamen, non ali-
quam eius partem *l. 38. ff. de procur. l. 5. §. fin. ff. judias.
solv.* Ratio est, quia alioqui si una lis à duobus aut pluri-
bus procuratoribus susciperetur, actor unam causam in
plures dividere necesse haberet, & sic in plures etiam
adversarios, non sine magno suo detrimento & incom-
modo distraheretur, contra dispositionem *l. 2. ff. de
exerc. act. l. 5. §. pen. ff. judicat. solv. Harprecht. d. loc. n.
28. Add. Vultej. lib. 2. Jurispr. Rom. c. 30. n. 29.* Idem quo-
que in Camera Imper. observatur, prout videre est ex
Ord. Camer. p. 3. tit. 12. §. So viel denn. Ubi hæc haben-
tur: So viel denn die Gewalt betrifft, so beyder

C

Par:

Parthey Procuratores fürbringen / sollen dieselben
nicht ad unum actum, sondern zu der ganzen Sache
gestellet seyn / und anderer gestalt für gnugsam nicht
angenommen werden. *Vid. Gail. 1. obs. 51. n. 11.* Quod
tamen in executivis non tam anxie observari, sed ibi et-
iam ad unum articulum non nunquam constitutionem
Procuratoris admitti tradit *Mynsinger. cent. 5. obs. 84.* ubi
in causâ Bamberg contra Würzburg ejusmodi con-
stitutionem ad exceptionem tantum proponendam,
admissam fuisse testatur. Quod diximus ad omnes
causas procuratores dari posse intelligendum de civili-
bus ac pecuniariis, quæ scilicet permittente lege ab utra-
que parte per procuratores exerceri possunt, *l. 2. C. de
procur.* etiam sine judicis concessione, nisi fortè litis
qualitas requirat ut ob causam justam ac vehementio-
nem litigatores præsentis esse ac per se respondere de-
beant, tunc enim à magno iudice cogi possunt ad esse
& respondere, *l. 26. C. eod.* Justam verò causam inter-
pretatur *Donell. Comm. lib. 18. c. 10.* si aut de jurejurando
litigatoris apud iudicem præstando agatur, aut de factò
obscuriore, cujus veritas facile erui non possit, nisi ex
Rei ipsius vultu & sermone. Magnum autem iudicem
intelligit eum qui jus multæ dicendæ habet, ut scilicet si
vocatus venire recuset multari posset, & multâ indictâ
cogi. Verum hoc tantum modo competit ei, cui pu-
blice iudicium est, non alii nisi specialiter ei conceda-
tur, *l. 2. §. fin. ff. de iudic.* Ergone in popularibus quoque
actionibus quæ sunt Civiles procurator admittitur? Mi-
nimè; hoc enim satis constat *ex l. 42. pr. ff. de procur. & l.
5. C. de popul. act.* nisi fortè actor (de Reo namque nul-
lum est dubium, qui indistinctè procuratori, potius di-
xerim

xerim defensori, defensionem suam rectè committit
d. l. 5. c. dn popul. act.) præ reliquis privatum commo-
dum illà actione consequi possit *d. l. 42. pr. de procur*
tunc enim non tam in populari quàm privatà causa ut
dominus ipsum constituere videtur. *Vid. Ulmra. disp. ad*
process. 3. th. 5. n. 26. ubi etiam quid de causis famosis sta-
tuendum, nùm in illis quoque procurator intervenire
queat, quærit, & rectè id affirmat modo sint civiles *ob l.*
6. §. 1. ff. de his qui not. infam. l. 1. vers. planè ff. an per alium
caus. appell. Similiter sese res habet cum interdicto de
liberis exhibendis ducendisvè, quam actionem regu-
lariter pater ipse, non verò per procuratorem instituire
debet, nisi causà cognità, id est, si & nominatim hoc pro-
curatori mandatum sit, & pater valetudine aut alia justa
causa impediatur *l. 40. pr. ff. de procur.* Ratio, cur pater,
nisi justa aliquà causa impediatur, per procuratorem
agere non possit, hæc est, quòd, cum ad minuendum li-
beri hominis & Civis Romani statum pertineat, eum
pro imperio peti ad exhibitionem & ductionem; non
temerè hujus rei petitio cuiquam permittenda fuerit,
nisi ei qui potestate hominem ducere, & in eum qui
duceretur, statuere potuerit, quòd solus pater, qui fi-
lium in potestate habet, facere potest, *Donell. d. loc.*

XI.

Hæc de Civilibus actionibus, nunc brevibus etiam
quid in criminalibus obtineat videbimus. In Jure Ci-
vili regulam consignatam habemus *in l. pen. §. 1. ff. de*
publ. jud. Ad crimen judicii publici persequendum frustra
intervenit procurator, multoq; magis ad defendendum. Un-
dè concluditur in criminalibus judiciis, modo ejusmo-
di sint, ex quibus pœna relegationis sequi solet, *l. 1. ff. an*

per alium caus. appell. redd. nec pro actore nec pro reo
procuratorem admitti debere. Quamquam enim in
d. l. 1. reperiatur particula, *usq;*, non exclusivè tamen sed
inclusivè secundum Dd. communiter ea est accipienda
arg. l. fin. ff. de Senator. l. 1. vers. licita. de extraord. co-
gnit. Ratio, cur pro actore non intervenire queat pro-
curator, est, tum quia in causis criminalibus accusator
de privato damnò non laborat, aut proprium agit nego-
tium, sed publicam utilitem exequitur, ut coerceantur
delicta: tum quia ad pœnam talionis inscribere
necesse habet, *l. 7. ff. de accusat. l. ult. c. eod. Can. 3. caus.*
2. quest. 8. c. 5. x. de procur. ut scilicet si in accusatione defe-
cerit ad supplicium vocetur, *l. ult. C. de accusat. Et in-*
script. l. 7. pr. ff. eod. Facile autem pœnam istam con-
temneret accusator, si ei absenti crimen persequi per
procuratorem liceret, *Donell. d. loc. n. 50.* Et sic senten-
tia fieret elusoria, quia condemnato procuratore, con-
tra eum ut innocentem executio fieri non posset, cri-
minaque manerent impunita, cum tamen Reipubl. in-
terfit, ut maleficia puniantur, *l. 14. C. de pœn. l. 51. §. 2. ff.*
ad L. Aquil. Exceptio tamen est si criminis objecti pœna
minor sit relegatione, uti suprâ jam dictum, cum in istis
inscriptionis vinculum necessarium non sit *arg. l. 6. ff. de*
accusat. Et d. l. 1. ff. an per alium caus. app. Deindè illustri-
bus personis specialiter concessum est, ut actionem in-
juriarum criminaliter intentare per procuratorem pos-
sint *l. ult. C. de injur.* Tandem etiam is excipitur casus,
quando Universitas aliqua actionem instituit crimina-
lem v. g. ex crimine peculatus sacrilegii &c. tunc enim
quia propter multitudinè singuli difficulter congregari
& iudicio inter esse possunt, per procuratorem seu po-
tius

rius Syndicum, agere debent, Menoch. *quest. arb. q. 79. n. 14.* Et haectenus de actore seu accusatore. Curetiam pro reo, & quidem multo minus, procurator non admittatur, triplex dari potest ratio; 1.) enim hoc loco iterum spectanda venit supra allegata, quod contra procuratorem ut innocentem executio fieri non possit. 2.) Quia si ipsi reo per procuratorem se defendere liceret, nunquam iste in iudicio compareret sed facile se subduceret & quasvis latebras quaereret, ut poenam delicto condignam evitaret. 3.) Quoniam rei praesentia omnino requiritur ad veritatem eruendam, cum ex vultus pallore, consternatione, tremore, ac inconstantia sermonis multa criminis admissi indicia desumi possint *l. 10. §. pen. de quest.* Sed & hic quidam excipiuntur casus, in quibus procurator seu defensor, uti specialiter nominatur, admittitur: si scilicet pecuniaria quaedam fuerit poena ex iudicio publico civiliter instituta: (de omnibus enim criminibus aut civiliter aut criminaliter agi potest, *l. un. C. quand. civil. act. prejud. crim. cap. 16. x. de accusat. l. 42. §. 1. ff. de procur.*) quod manifeste patet ex *sep. alleg. l. 1. §. plane ff. an per alium caus. app.* Nam omnis pecuniaria poena quavis corporali levior est *l. 10. in fin. ff. de poen.* & in eiusmodi iudiciis, licet reus sui copiam non faciat, res tamen iudicata suam sortitur exitum, atque ac si in causa civili procurator succubisset: cum poenam illam pecuniariam reus non luat corpore suo sed in bonis, ex quibus pecunia sumi possit, ubicunque sit dominus *Donell. d. lib. 20. cap. 10. in fin.* Deinde excipitur etiam casus allegandae & excusandae absentiae, in quo procuratores ex omnibus causis etiam publicorum iudiciorum intervenire possunt, *l. pen. §. ult. ff. de publ. iud. l. 3. C. de accus. l. 71. ff. de procur.* Ex

hiscē txx. satis satisq; apparet intelligendam esse hoc locō defensionem non plenam, ut scilicet absolvi possit Reus, sed saltem ut sententia differatur: seu defensionem absentia tantū, non verò causæ ipsius principalis. Quod tamen limitant Dd. in personā patris, qui scil. non solū ad absentiam filii excusandam, verū etiam innocentiam ipsius ostendendam intervenire possit. Vid. Carpz. *prax. crim.* p. 3. q. 105. n. 81 & Schulz. *Synops. Inst. tit. de iis per quas ager. poss. lit. B.* Cœterū de quæstione hâc intricatissima ac subtilissima Vid. Dd. qui multū semper de explicanda illa laborarunt, inter quos haud ultimō loco ponendus erit Menoch. *de arbitr. jud. quæst. & caus. quæst. 8.* ubi per 24. columnas de eadem disserit. Add. Carpz. *prax. crim.* p. 3. 4. 105. n. 16. usq; ad fin. Excell. Dn. D. Martini, Patronus ac Præceptor meus et a tē devenerand. in *Colleg. Crim. Diss.* 10. n. 31. & seqq.

XII.

Nostris autem moribus postquā lex talionis & solennis inscriptio in desuetudinem abiit, penitusque sublata est, ne scil. metu propriæ salutis ab accusatione quis desistat, & sic crimina impunita remaneant, quod tamen utilitati Reipul. uti supra ostensum, perniciosum est, non ampliùs ad eam tenetur accusator, uti Jure Civili, & ideò cessante ratione prohibitionis recte per procuratorem agit, si autem in accusatione defecerit ad sumptus tantū litis refundendos, & multam pecuniariam pro injuriâ reo illatâ præstandam tenetur *ex Const. Crim. Carol. art. 12.* ubi etiam constituitur, accusatorem velejus procuratorem custodiae tradi debere, donec idoneam cautionem i. e. quæ fit fidejussoribus, præstet. *Verbis. So bald der Angeklagte zu Gefängniß an genom-*

genommen ist / soll der Ankläger oder sein Gewalt-
haber mit seinem Leib verwahret werden / biß er mit
Bürgen Caution, Bestand und Sicherung gethan
hat / & mox : Daß der Ankläger wo er die peinliche
Rechtfertigung nicht ausführen oder dem Rechten
verfolgen würde / alsdenn den Kosten so drauff gan-
gen ist / auch dem Beklagten umb sein zugesügte
Schmach und Schaden Abtrag thun solle. Hodie
tamen in foro nostro Saxon. hæc Constitutio, quoad
personam accusatoris aut procuratoris custodia tra-
dendam, non observatur, sed cautio pecuniaria de sum-
ptibus litis & injuriæ illatæ satisfactione perinde ac in
civilibus causis imponitur *Wesemb. ππ. tit. de accusat. n.*
12. nisi quis bona possideat immobilia, tunc enim ab eâ
liber est, Carpz. in Jurispr. Fos. p. 1. c. 5. def. 23. Et prax.
crim. p. 3. q. 106. n. 46. 47. 48. Sed & si accusator neq; bona
immobilia habeat, neq; idoneè cavere aut fidejussores
invenire queat, cautio juratoria, da Kläger schwehret/
daßer glaube / daß er nach angewendeten möglichen
Fleiß die Caution mit Bürgen und Pfänden nicht
bestellen mögen / sufficit, Carpz. locis allegat. Hæc de
actore seu accusatore. Ex parte autem rei ne nostris
quidem moribus in crimine publico admittitur procu-
rator, sed tantùm ad absentiam ejus defendendam, vel
exceptiones declinatorias vel dilatorias ante litem con-
testatam opponendum ; nisi ipse in judicio præsens sit
reus, tunc enim advocatus ipsi est adjungendus, non
quidem ad respondendum accusationi vel inquisitioni,
aut interrogationibus à judice super delictò factis, cum
hæc omnia reus ipse facere ac peragere necesse habeat,
sed tantùm ut ipsum instruat reum ac consiliò juvet.

Qvò

Quò de plenè agit Carpz. *in prax. crim. p. 3. q. 105. n. 46. & seqq.* In Camerà tamen Imper. causis fractæ pacis accusatum per procuratorem comparere posse patet *ex Ord. Cam. p. 1. tit. 25.* Ob Fürsten/Prahalaten/Grasen/Freyherren / Ritterschafft oder Stände durch ihre Anwälde oder Redner / die sie mit ihnen bracht oder schicken / oder andere / doch ehrliche und tüchtige Personen in ihr selbst Sachen wolten reden oder handeln / das sollen sie zu thun macht haben &c. Imo in illò Consistoriò non aliter quàm per Procuratores causas agitari posse tradit Gail. *de pac. publ. lib. 1. c. 10.* Exceptà tamen absoluteione ò bannò Imper. quæ à solò bannitò præfente in judiciò postulari debet, nisi fortè de adversa valetudine, aut aliis justissimis impedimentis, quibus impeditus comparere non potuerit, vel instrumentò publicò vel attestazione magistratus illius loci fidem iudici faciat, tunc enim procurator admittitur, quod iterum observavit modò laudatus Gail. *d. lib. 1. c. 10. n. 9. & lib. 2. c. 18. n. 25. de pac. publ.*

XIII.

Formam ipsius constitutionis seu quomodò procurator constituatur, quod attinet, perficitur ea consensu & mandatò, vel expressò, vel tacitò: Expressò, *l. 1. ff. de procur. veluti per conventionem inter dominum & procuratorem futurum, l. 1. pr. ff. de mandat. vel per nuncium aut literas, d. l. 1. ff. b. t. l. 2. ff. de pact. & d. l. 1. ff. mandat.* Tacito, quandò quis præfens & sciens causam suam ab aliquò agi, non contradicit, sed id fieri patitur, *l. 6. §. 2. ff. mandat. Patientia enim pro consensu habetur, l. 18. l. 53. ff. mandat. l. 6. C. eod. l. 60. ff. de R. J. l. 5. §. 10. ff. de his qui effud.* Sic tacitè constitutus procurator estimat-

stimatur, qui literas, in quibus ipsi dominus procuratio-
nis munus defert, accipit, nec contradicit, *l. 65. ff. b. l. & Clement. 1. eod.* ubi expresse constitutum est, ut etiam
invitus hoc casu ad causam agendam cogi debeat. Sem-
per enim ejusmodi literas ad se datas sine protestatione
recipiens praesumitur approbare ea omnia, quae in iis
sunt comprehensa, *l. 16. ff. de Sct. Maced.* Secus tamen
est, si quis rudis literarum mandati literas accipiat, &
per aliquod temporis spatium secum retineat, is enim
mandatum suscepisse non praesumitur, cum ignorans
vel errans non consentiat, *l. 15. ff. de jurid. Vid. Harp-
recht. Comm. ad Inst. tit. de iis, per quos ager. pos. §. 1. n.
199. & seq.* Praeterea eum quoque dominus tacite procu-
ratorem constituere censetur, quando instrumenta cau-
sae principalis, h. e. quibus causa instrui ac probari pot-
est, alicui tradit, *Wesemb. in ππ. lit. de procur. n. 6.*

XIV.

Constituitur autem procurator vel ex die, vel in
diem, vel ad diem & certum tempus, vel sine tempo-
ris praefinitione, vel pure vel sub conditione, *l. 3. ff. b. t.*
item vel specialiter ad certam tantum causam, vel gene-
raliter ad omnia negotia, *l. 60. & l. 63. ff. eod.* uti supra jam
dictum *in tb. 4. Vid. Wesemb. d. n. 6.* Porro Procurator
constituitur vel in iudicio, vel extra iudicium. In iudi-
cio a parte actoris, si dominus mandatum actis insinuet,
seu literas mandati offerat iudici, aut mittat, & ad acta
redigi curet, aut si ipse coram iudice procuratorem eli-
gat, ejusque personam confirmet, & se ratum habiturum
quicquid ille gesserit aut egerit, promittat & caveat, §.
3. 7. de satis. l. 65. ff. de procur. Wesemb. d. loc. Et hic con-
stituendi modus omnium tutissimus est, cum acta judi-

D

cii

cii inter partes notorium faciant, ac ideò ab onere probandi relevent, *Harprecht. d. loc. n. 217.* Quid autem, numè clausula illa de rati habitione in mandato ita necessaria est, ut si omittatur, instrumentum procuratorium vitietur? Non satis hãc de re inter Dd. convenit; quidam enim putant non vitari quidem instrumentum, per ejus omissionem, sed tantum utilem esse ejus adjunctionem, & hunc habere effectum, ut mandato cum liberâ & qvipolleat, *Hilliger. ad Donell. lib. 18. c. 12. tit. E E.* Verum contraria sententia hodiè in praxi est recepta, & clausula rati hisce ferè verbis: was genenneter mein Bevollmãchtiger bey dieser ganzen Sache in meinem Nahmen verrichten und handeln wird / will ich vor genehm und als mein eigen achten / auch ihn und seine Substitutos jederzeit vortreten und schadlos halten: expressè mandato procuratorio inferi debet. *Carpz. in Procesf. tit. 6. art. 1. n. 77. & seq. Wesemb. d. loc. n. 7. vers. illud etiam sciendum.*

XV.
Procurator itaq; tali instructus mandato cautionem de rato præstare necesse non habet: quandò enim de mandato certè constat satisfactio ista necessaria non est, *l. 1. C. b. t. l. un. C. de satisfand. l. 21. ff. rat. rem haber.* quoties verò de eò adhuc dubitatur, si fortè mandatum proferat ex parte aliquã mutilum aut insufficiens, absq; cautione de ratò non admittitur, *d. l. 1. C. b. t. & l. 39. §. 1. ff. eod.* Si quis autem nullum omninò exhibere potest mandatum, tunc nec offerens cautionem de ratò, invito adversariò, admittitur, nisi pro conjunctâ personâ, *l. 35. l. 40. §. ult. ff. b. t. l. 12. C. eod.* quandò scil. parentes pro liberis & contrà, fratres pro fratribus aut sororibus, affines

nes pro affinibus, liberi pro patronis, maritus pro uxore, & consors litis pro consortibus procuracionem suscipiunt, *d. l. 35. ff. b. t. l. 21. c. eod. l. ult. c. de consort. ejusd. tit.* Quæritur autem num aliis etiam ulterioris gradus agnatis hæc ipsa facultas sit concessa? Nonnulli Dd. inter quos Siehard. *ad l. 12. n. 6. l. de procur. ad 10. gradum* eam extendunt. Pleriq; tamen ad quartum usq; gradum exclusivè eos admittunt, ita ut secundum computationem Civilem frater tantummodò patruus & avunculus, it. fratris vel sororis filius ut conjunctæ personæ in linea collateralis sine mandato agere possint. Cum quâ sententiâ facit Constit. Elect. *in Ord. Process. jud. tit. 7. add. Magnif. Dn. Præses in Not. privatim communicatis ad Ord. Process. d. loc. §. wir lassen aber / verb. bis in Dritten Grad.* Verùm ad quem affinitatis gradum illa erit extendenda? Certè nõ nisi genero pro Socerò & Socero pro genero hæc dabitur licentia *Ord. Process. d. tit. 7. §. eod. verbis: Der Schwäher für seinen Eydam oder Tochtermann / und der Eydam oder Tochtermann für seinen Schwäher / ic.* Sed quid, nummè Uxore generi defunctâ adhuc durat facultas de rato cavendi? Negat id ipsum Berlich. *p. 1. conclus. 14. n. 49.* sed ab ipso dissentit Carpz. *in Process. tit. 5. ar. 6. n. 48 & 49.* Ad conciliandum tantorum virorum disensum elegantissimè distinguit *Magnif. Dn. Præses d. loc. verb. Der Schwäher für seinen Eydam.* & plurimum interesse putat num benè sibi invicem cupiant Socer & gener, an odium & inimicitias alant. Priori casu Carpzovii affirmantis; posteriori Berlichii negantis opinionem amplectendam esse, docet.

XVI.

Eodem etiam modò constituitur procurator Rei

D 3

sequ

defensor ut actoris, vel in iudiciò, vel extrajudicium. Sed
semper & indistinctè cautionem iudicatū solvi præstare
teneretur, *l. 46. ff. h. t. l. unic. C. de satisdand.* & ideò reus hy-
pothecam bonorum suorum pignori supponere debet,
§. 4. J. de satisdat. Si verò principalis satisfactionem hanc
non præstiterit, ipse procurator ad eam compellitur,
nec prius recipitur, anteqvàm cavisset, juxta regulam:
Neminem in re alienà defensorem sine satisfactione fo-
re idoneum, *in l. 46. §. 2. ff. de procur. §. 1. & §. J. de satisdat.*
Malè enim cautum esset adversario de executione, si
neq; à dominò neq; ejus defensore ejusmodi satisfactio
præstaretur. *Vid. Wesemb. d. loc.* Hodie tamen de con-
suetudine Saxon. ex parte rei conventi neq; cautio iudi-
catum solvi, neq; iudicio sisti exigitur, sed penitus ab usu
recessit. *Vid. Carpz. in process. tit. 9. art. 5. n. 12. & 13. ubi n.*
14. hanc sententionandi formam annectit: **Dasß Be-
flagter mit der gefoderten Caution billich zu verschö-
nen.** **B. R. W.** Ex hac scil. ratione, quod reus jam an-
teà satis sit gravatus, quod hoc ipso fuerit iudiciò pulsa-
tus: & ne ipsi ut afflicto ulterior addatur afflictio, *arg.*
l. 14. ff. de offic. presid. l. antepen. C. de pœn. Secus tamen
est si de fugà fortè sit suspectus *Carpz. d. loc. n. 16.*

XVII.

Porro quod ipsam mandati procuratorii formam
concernit, brevibus quæ potissima ejus sint requisita vi-
debimus. Constare autem illud debet cum primis no-
mine & cognomine tam constituentis & procuratoris
constituti, quàm adversarii, contra quem, nec non iudi-
cis coram quò & apud quem, ut & causam actumq; ad
quem constitutio procuratoris facta est, *Wesemb. h. t. n. 7.*
Carpz. in Process. tit. 5. art. 1. n. 52. Ea verò maxime in pro-
curatorio sunt exprimenda, quæ speciale mandatum re-
qui-

qvirunt, nec in generali comprehenduntur, *cap. 4. § 5. de procur. in 6. v. g. contractus sponsaliorum & matrimonii, cap. ult. eod. in 6. juramenti delatio & praestatio cap. ult. de juram. calum. in 6. l. 34. §. 1. ff. de jurejur. alienatio rerum tam mobilium quam immobilium, nisi fructus aut aliae res sint, quae facile corrumpi possunt, l. 63 ff. de procur. l. 16. c. eod. petitio restitutionis in integrum l. 25. §. ult. ff. de minor. & quae sunt alia, de quibus vid. Harpr. ad d. tit. 7. de iis per quos ager. poss. n. 241. Ideoq; qui plenum liberumq; mandatum daturus est, horum aliqua in instrumentò exprimat & postmodum subjiciat generalem clausulam: & omnia reliqua agendi, quae ipse dominus praesens facere posset, und alles andere vermög rechtlicher Ordnung zu handeln / zu thun und fürzunehmen / daß der Principal selbst / so er jed erzeit gegenwärtig were / thun sot / könte / oder möchte. Hac enim clausula includit omnia, quae expressis sunt paria. *Job. Emeric. à Rosbach, in procesf. jud. tit. 20. n. 21. Mynsinger. cent. 4. obs. 99. Carpz. d. tit. 5. art. 1. n. 87.* Ad substantiam mandati requiritur porrò sigillatio & subscriptio. Quamquam enim olim subsignatio idem fuerit ac subscriptio *l. 39. ff. de V. S. & sigillum idem quod subscriptio operatum fit, hodiè tamen mandatum, nisi & scriptum & sigillatum simul sit, minime valet, Ord. Procesf. tit. 7. §. Da auch verb: Die Mandata und Vollmachten sollen allerley Mißbräuche / so darbey eingeschlichen / zu vermeiden / nicht allein von den Parthenen gesiegelt sondern auch unterschrieben seyn. Quid autem si quis sigillum non habeat, nec ipse etiã subscribere propria manu queat? Vid. Carpz. d. loc. n. 96. & seqq. Mandata tamen Regum, aut Principum solò sigillò firmantur, etiam absq; subscriptione; quod tamen ad Comites &**



Barones non extendi debet, sed in judiciis nostris provincialibus si ipsi subscribere nolint, Secretariorum, aut aliorum officialium subscriptio requiritur. *Id. Dn. Carpz. d. loc. n. 106.* Cæterum quæ alia adhuc sint legitimi mandati requisita vid. ap. Dd. quos citat *B. Dn. Carpz. d. loc.* quibus addatur *Harprecht ad d. tit. 7. de iis per quos ager. poss. n. 52. & seqq.*

XVIII.

Probatum autem mandatum iisdem ferè modis, quibus constituitur, scil. per instrumenta vel publica, quando mandatum actis est insinuatum § 3. *J. de satisf. dat.* vel privata, quando instrumentum constitutionis à Notario vel Domino ipso confectum exhibetur, *l. 65. ff. de procur. cap. 9. x. eod.* Aut per testes, coram quibus hic contractus celebratus est, *l. 15. c. de fid. instrum. l. 17. c. de pact. l. 4. ff. de pignor.* Aut deniq; præsumtionibus, veluti ex conjunctione sanguinis, *l. 55. ff. b. t. & l. 21. c. eod.* item, si constet dominum esse præsentem nec contradicere procuratori agenti *l. 18. ff. mandat.* nec non si instrumenta ad causam principalem pertinentia perfectantur, quæ nemo sine mandato alicui cessurus præsumitur, *Vid. Wesenb. d. loc. in fin. Rosbach. d. cap. 20. n. 36. & seqq.* ubi distingvit, utrum probare possit hic instrumenta illa sibi ab ipsò domino tradita fuisse, nec ne: priori casu admitti eum dicit, etiam sine aliquâ cautione; posteriori verò, admitti eum quidem, sed cum cautione rati.

XIX.

Finis mandati procuratorii est, ut qui varias ob causas rebus suis superesse vel nolunt, vel non possunt, negotia sua per alios ad id idoneos expedire queant, *l. 1. in fin. ff. b. t.* Ex hoc itaq; mutua inter dominum & procuratorem hòc ipsò constitutum oritur obligatio, quæ duplicem parit actionem, directam & contrariam: Actio mandati directa competit domino in procuratorem, variis ex causis, ut si fortè procurator suc-

see-

sceptum negotium exequi nolit, *l. 8. §. fin. ff. de procur. l. 45. eod.*
l. 8. §. 2. ff. mandat. Si per collusionem adversarium absolvi pas-
sus sit, *d. l. 8. §. 1. ff. mand.* si in officio suo dolo vel culpa, etiam le-
visimâ, domino aliquid detrimenti intulerit *l. 11. 13. & 2. C.*
mandat. si omnium, quæ ex mandatô consecutus est, rationem
reddere recuset, *l. 46. §. 4. ff. de procur.* Actio autem mandati
contraria datur procuratori adversus Dominum, ut scil. do-
minus ipsi sumptus litis necessarios præstet, aut si quid in utili-
tatem domini ex mandato impendit, restituat, *l. 12. l. 15. l. 27.*
§. 4. & l. 56. §. fin. ff. mandat. ne procuratori officium suum sit
damnosum. Undè etiam procurator rerum quæsitarum re-
tentione sibi consulere potest, nisi dominus ei solvere sit para-
us, *l. 21. & 26. ff. b. t.* Si autem dominus solvendo non sit? tunc
licitè petit procurator, ut ex re judicatâ sibi satis fiat, *l. 30. ff. eod.*

XX:

Haftenùs de procuratoris constitutione; nunc quomodo
ea ipsa iterum dissolvatur aut revocetur erit tandem recensend-
um. Revocari autem illa à domino ante litem contestatam
potest liberè & sine causâ *l. 2. §. 16. ff. mandat. cap. 2. §. 1. de pro-
cur. in 6. l. 16. ff. b. t.* Post litem verò contestationem, quâ res in-
tegra esse desit, revocare mandatum aut mutare procurato-
rem ipsi non licet, *l. 17. ff. b. t.* nisi justis ex causis, quæ recensentur
in §. ult. d. l. 17. cum aliquot seqq. ff. b. t. nec commodè illi se op-
ponere potest procurator, ne fiat suspectus, quod in rem ali-
enam invito domino se ingerere velit, nisi & ipse justas ha-
beat rei causas, ut quia sumtus fecit, aut in rem suam datus est,
aut dominus saltem partem aliquam negotii revocat, *d. l. 25.*
§. fin. l. 55. l. 27. ff. b. t. E contrariò autem procurator etiam ju-
stis ex causis, (de quibus *vid. l. 8. in fin. & seqq. ff. b. t.*) petere
potest, ut invito etiam dominò ab officio liberetur, *l. 23. 24.*
*25. & 27. ff. mandat. Donell. lib. 18. Comm. c. 17. Dn. Struv. Syn-
tagm. Jur. Civ. Exerc. 7. th. 27. in fin.* quo modò autem renun-
ciare debeat mandato copiose demonstrat Gail. *obs. 46.* Deindè
finitur mandatum, finito ipso negotiò seu causa, propter quam
susceptum fuerat, *l. 17. & 21. C. de procur.* Sed vehementer
disceptatur & ambigitur, an procuratur ad litem datus, senten-
tiâ contra ipsum aut dominum latâ, non solùm appellare, sed
etiam


etiam appellationem interpositam prosequi debeat? Putant Wesemb. *Comm. h. t. num. 12.* Geil. *1. obs. 1. 39.* & Dd. *communiter ad l. 17. C. b.* procuratorem appellare quidem teneri, sed prosequi appellationem non cogi. Sed contraria sententia verior videtur, procuratorem interpositam appellationem etiam prosequi debere, *l. 2. ff. an per al. caus. appell.* Constat etiam hujus sententiæ ratio ex eò, quod qui causam iudiciò agere suscipit eam iudiciò prosequi promittat; jam autem hoc prosequi nihil aliud est, quàm tandiù prosequi, donec agendo consequi possimus, nec prius desinere, quàm aut consecuti sumus quod volumus, aut certum est amplius agi non posse *Donell. lib. 18. c. 16.* ubi contra omnes adversariorum rationes objectasq; Leges subtilissimè disputat, & *Harprecht. sep. cit. loc. n. 275. & s. 99.* Tandem mandatum finitur morte utriusq; contrahentis tam mandantis, quàm procuratoris: hujus quidem sive integra adhuc res sit sive non, cum certæ personæ cohæreat, & cum eâ extingatur, *arg. l. 13. ff. solut. matrim.* In domini autem personâ distingvendum est, utrum ante an verò post L. C. moriatur? Prori casu certè mandatum revocatum censetur, nisi jam antea pro ipso procuratore consentiente iudicatum satisfecit, *l. 15. ff. h. t.*, aut nisi ignorante procuratore ante L. C. sit mortuus § 10. 7. *de mandat. l. 26. pr. l. 58. ff. eod.* aut aliquid post mortem suam faciendam mādaverit, *l. 12. §. ult. ff. eod.* Posteriori casu neutiquàm revocatur, nec novo heredum opus est mandatò *arg. l. 23. C. b. t.* Hodie tamen in Camera Imper. hæredes ad iudicium citari solent, ut litem reassumant, *Gail. 1. obs. 109.* Quam consuetudinem tamen, tanquam quæ heredum multorum malitias & tergiversationes foveat, valde improbat. *Add. Umm. disp. ad process. 3. th. 7. n. 45.*

XXI.

Sufficiant hæc: & si quis uberiores hujus thematis desideret tractationem, is ipsos Dd. & Interpp. adeat Commentarios. Cum enim, uti in limine statim huj. Disp. monui, saltem Theses quasdam pro ingenii modulò conscribere animus fuerit, non immeritò, ut puto, pedem hîc figo.

Sit autem.

SOLIDEO GLORIA.



DUm, GRIEBE, litium notis doctissimis
Signas Patronos, quiq; causas in forô
Trepidi Clientis ore calamoq; astitant:
Opto Tuis studiis Deum Ter-Optimum
Semper Patronum; ut ipse felix postea
Patronus arma ferre pro reis queas;
Aut in tribunali sedens iudex gravis,
Putare lites, atq; jura reddere.

Per-Eximio & literatissimo

DNO. RESPONDENTI,

Amico & Fautori colendo

prosperrimos Studiorum successus
fincerâ mente manuq;
precatur

Werner Theodorus Martini,
D.Pand.Prof.Publ.



Quâ rarâ abundes ingenî solertiâ
Scientiaq; copiâ, non heic latet.

· E

Seal

*Sed attamen vis, denuò examine
Ut publico doctoz, vires indolis
Exerceantur atq; crescant protinus,
Laudo. Decore sat quidem suo nitent
Gemma; magis tamen magisq; nobilis
Adamas refulget, ante tractatus probe.*

Hicce Clarissimo Domino GRIEBIO,
Fautori suo sincero congratulabatur

Johannes Jacobus Zinck / J. U. L.



HActenus Ipse Tuam curasti sedulus omnem.
Rem, GRIEBI, cordis portio chara mei.
Jam dicit praesens, aliorum, pagina docta,
Res procurari quâ ratione queant.
Apprecor ut Tua sit justissima fulta Patronis
Causa, Deus studiis Ipse Patronus erit.

Hocce levidensî Clariss. & Perexim.

DNO. GRIEBIO, Fautori, & Amico longò
usu mihi cognito gratulor

M. F. Bœzo.

Sic

Sic pulverem spargis pernice
Nisu, Themistos spectans palmam.
Est laudis, anniti, vicisse
Prestat. Viam calcâsti obseptam,
Jam prapeti cursu eluctaris.

Gratulabundus asurgere
vult

Johannes Georgius Börner /
Dresd.

Was der gelehrte Sinn in Rechten kan
ergründen/
Kan man bey Dir / O Freund / nicht ohn
Verwundern finden/
Die wohlgefaste Schrift gibt dieses an den
Tag /
Wohl Dir und allen den die man so preisen
mag.

Zu Bezeugung obliegender Schuldigkeit
schrieb dieses

Wolfgang Friedrich Tünkel.
Qvid

QVid labor asfiduus, docilisq; industria, possint,
Specimen id nobis exhibet hocce tuum.
Has animi dotes perge accumulare politici,
Ivo Tibi quondam præmia larga dabit.

*Hæc pauca Amico suo nunquam reconci-
liato gratulab. adjecit*

Joh. David Berringerus.



Wittenberg, Diss., 1669-70

ULB Halle
002 271 419

3




f
sb.

VDA7







B.I.G.

Farbkarte #13

No: 853
1669
17 21

C. F. 1669
 O JURIDICA
 DE
IRATO.
 U S,
 bilis. Jctorum Ordinis
 SIDE
 GNIFICO
 SIMO, CONSULTISSIMO
 LENTISSIMO
ZIEGLERO,
 Academia longè celeberrima
 Consiliario, Facult. Jurid. Ordinaria
 nsistorii Ecclesiastici & Scabinatus
 ravisimo
 ORE AC HOSPITE SUO
 ENERANDO
 fendet
 OR
GRZEBE
 n d. Novemb.
 vetis.
 ERGÆ,
 RI, Anno M DC LXIX.

4.

